



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando laudamur. Exercit. 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

at gratiam tranquillo & patienti animo hoc ludibrium tolerandi, simulq; supplicabimus, pro eo qui nos eo ludibrio afficit, vt si hoc facto Dei indignationem incurrit, huius criminis agnitionem pariter & veniam ei clementer elargiatur.

Oblatio.

Offeremus nos Domino, ad huius & cuiusuis alterius irrisionis & contumeliæ, per quam gratum ei obsequium præstare possimus, hilarem perpeffionem, eamq; innumeris illis ludibrijs & irrisionibus quæ ipse nostri causa dum in hoc mundo versaretur placidè sustinuit coniungemus.

Quando laudamur

Exercitium. 14.

Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

*Pfalm. 35. Benedicam Dominum in omni
bb 6 tempo*

tempore, semper laus eius in ore meo.

Psal. 116. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Psal. 117. Fortitudo mea, & laus mea Dominus.

Consideratio.

Considerabimus. Quicquid in nobis est, vnde merito laudibus ornari possemus, id Dei esse. cuius est esse quo utimur, & vita qua viuimus, spiritusque quem ducimus: sine quo ne minimam quidam probam & Deo placetem cogitationem mente complecti possumus.

Gratiarum actio.

Gratias agemus ei, qui suas creaturas donis & gratijs suis locupletat, ornat & honestat.

Confusio.

ERubescemus, constituendo nobis ob oculos nostræ conditionis miseriam, sceleraque quæ in Deum nequiter admisimus, pro quibus nullam non modò laudem & gloriam, verum vituperium & confusionem summam promeremur.

Peti-

Petitio.

PRecabimur Dominum, vt manu sua sic nos regat, moderetur, atq; sustentet ne ex laudibus hominum in superbiam erigamur, néue à vera nostræ vilitatis & paruitatis cognitione, quacunque ratione separemur.

Oblatio.

Offeremus Domino laudes quas ei Angelici spiritus, in cœlesti illo beatorum omniû domicilio decântant.

Quando arguimur aut reprehendimur.

Exercitium. 15.

Bar. 1. Domino Deo nostro iustitia nobis autem confusio faciei nostræ.

Psal. 118. Bonû mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

Psal. 140 Corripiet me iustus in misericordia, & in crepabit me, deum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Consideratio.

Considerabimus Christum etsi neminem haberet integritate & innocentia ne parem quidem, nedum superiorem, nihilq; in eo inueniri pos